



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Die XX. Julii. In Festo Sancti Hieronymi Æmiliani  
Confessoris**

**Paderbornae, 1770**

Lectio VIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62828](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62828)

IN III. NOCTURNO.

Le<sup>t</sup>io S. Evangelii secundūm Matthæum.

Cap. 19. v. 13.

Le<sup>t</sup>io VII.

In illo tempore oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, & oraret. Et reliqua.

Homilia San<sup>t</sup>eti Joannis Chrysostomi.

Homil. 62. in Matth.

Cur Discipuli pueros abigebant? Dignitatis cauſā. Quid ergo ille? ut doceat illos modestè saperè, fastumque mundum conculcare, & suscipit, & ulnis comple<sup>t</sup>itur, talibusque Regnum Cœlorum pollicetur, id quod etiam dixit superiū. Et nos igitur, si volumus hæredes esse Cœlorum, hanc virtutem cum diligentia magna ſe<sup>t</sup>emur. Hoc est enim Philoſophiæ culmen, simplicem esse cum prudētia. Hæc vita est Angelica. Anima enim puerili omnibus animi morbis vacua est: non memoriam retinet injuriarum, sed eas inferentis adit, ut amicos, ac si nihil factum eſſet. Et quamvis à matre verberibus cædatur, eam ſemper quærit, & omnibus anteponit.

I<sup>x</sup>. Iste eſt, qui &c.

Le<sup>t</sup>io VIII.

Si Reginam iſſi oſtendas diademat<sup>e</sup> ornata,



re.  
at  
en  
af  
su  
te  
pi  
  
07  
u  
t  
C  
2

tam, non præfert eam Matri pannis detritis vestitæ, malletque illam incultam videre, quām Reginam mirificè amictam. Nam quod suum, quod alienum est, non ex paupertate, vel divitiis, sed ex amore existimare solet, & nihil plus requirit, quām necessaria, atque ut laete repletus est, statim à mamma abscedit. Non eisdem, quibus nos, ærumnis premitur, nec pecuniarum jaæturâ, rebusque similibus, nec iisdem, quibus nos, fluxis rebus lætatur, neque corporum pulchritudinem miratur. Ideo dicebat: Talium est enim Regnum Cœlorum, ut ex proposito voluntatis illa operemur, quæ naturâ suâ pueri faciunt.

R. Sint lumbi vestri &c.

*Lectio IX.*

**Q**uia enim Pharisei non aliunde, quām à nequitia, & arrogantia ad agendum ferehantur, ubique Discipulos suos simplices esse jubet, illosque subindicat, dum hos instituit. Nihil enim ita superbiam parit, ut principatus, & primi confessus. Quoniam igitur Discipuli per totum terrarum orbem multūm honoris consecuturi erant, ipsorum animos prævenit, nec sinit eos humanum quid pati, nec honorem à vulgo expetere, vel ante alios se se efferre.